



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Pacis Westphalicæ Publica**

Oder Westphälische Friedens-Handlungen und Geschichte

Worinnen enthalten, was vom Monath April, biß zu Ende des Jahrs 1646. zwischen Jhro Römisch-Kayserlichen Majestät, dann den Beyden Cronen Franckreich und Schweden, ingleichen des Heiligen Römischen Reichs Chur-Fürsten, Fürsten und Ständen, zu Oßnabrück und Münster gehandelt worden

**Meiern, Johann Gottfried von**

**Hannover, 1735**

**VD18 90103122**

§. XXV. Vorstellung, weißwegen der Hertzog von Lothringen aus dem Universal-Frieden nicht ausgeschlossen werden könne.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52163](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52163)

1646. „Fransosen ablauffen wolte; so wäre in  
 Junius, „einem, an Dr. Scherer abgangenen  
 „Schreiben, wohl so viel zu verstehen gege-  
 „ben worden, daß man zu Trier den Kau-  
 „kauff bekommen, und daher gerne sehen  
 „wolte, daß die Kayserliche Plenipoten-  
 „tarii sich der Sachen starck opponiren  
 „möchten, dann Seine Churs Fürstliche

„Gnaden erkannten, daß solches allein zu  
 „thun, in Ihrer Macht nicht gestanden habe,  
 „wissen dahero nicht, wie sie mit Glimpff  
 „wieder daraus kommen könten.

1646:  
 Junius

Über welche Entschuldigung die Kay-  
 serliche Gesandten weiter nachzuden-  
 cken, sich vorbehielten.

### §. XXV.

Vorstellung,  
 weshalb der  
 Herzog von  
 Lothringen  
 aus dem Uni-  
 versal-Frie-  
 den nicht aus-  
 geschlossen  
 werden  
 könne.

Obwohl der Herzog von Lothringen,  
 durch den Verdunischen Gesandten auf  
 den Congress, im Reichs-Rath, das Vo-  
 tum führen lassen; So wollten dennoch  
 die Fransosen, die Lothringische Sache  
 selbst keineswegs bey den gegenwärtigen  
 Friedens-Tractaten, in die Behand-  
 lung kommen lassen, sondern berufften sich  
 dieserhalb theils auf die Hamburgische  
 Preliminarien, theils auf den, zu Paris  
 Anno 1641. mit Lothringen getroffenen  
 Tractat. Es erachtete aber dieser Her-  
 zog vor allzunachtheilig und gefährlich, als

daß Er entweder ganz von dem Frieden  
 ausgeschlossen, oder zu neuen einseitigen  
 Tractaten mit einer so mächtigen Crone,  
 verwiesen werden sollte. Dahero Er in  
 der Repräsentation sub N. I. viele nach-  
 drückliche Gründe vorstellig machte, weß-  
 wegen Ihre Kayserliche Majestät und das  
 Reich, mit Ausschließ- und Ubergung  
 seiner, keinen Frieden mit Frankreich be-  
 handeln möchten; Zu welchem Ende auch,  
 Inhalts N. II. die von Fransösischer  
 Seite bißhero geäußerte vornehmste Zweif-  
 fel, besonders wiederlegt wurden.

### N. I.

Dictat. d. 18. Julii  
 Anno 1646.

*Representatio ex parte Ducis Lotharingici nullam, ipso præterito, cum  
 Gallia Pacem tractari posse.*

Circa negotium Serenissimi Ducis Lotharingiæ in Pacis Universalis  
 Tractatu absentis, & tres Episcopatus Metensem, Tullensem  
 & Verdunensem ultro Gallis oblatos, ejusdem Serenissimi  
 nec non Reverendissimi Episcopi Verdunensis declaratio, om-  
 nibus & singulis Sacri Romani Imperii Principibus & Ord-  
 nibus exhibita Monasterii Westphalorum.

Dicitur, Serenissimum Ducem satis mirari non posse, nec rescire, cur  
 a Cæsare & reliquis Imperii Statibus, cæteris pejus habeatur, cum Ipsi-  
 us Legatis Salvi Conductus, ut ad Tractatus Pacis Universalis venirent, huc  
 usque procurati non fuerint, siquidem illi adesse & interesse, necessario  
 & sine ipso vel ejus Legatis ulterius nihil tractari aut concludi debeat, ut  
 tuta & Universalis Pax fiat. Illud est enim invictissimi Cæsaris, omnium  
 Sacri Romani Imperii Ordinum, & eorum, qui Pacem volunt durabilem  
 & generalem, summum interesse. Nam quoad Cæsarem, ipsius honos  
 periclitatur, si à Gallia non obtineantur Salvi Conductus pro Duce Serenif-  
 simo, cum ille durantibus Preliminaribus Hamburgi Tractatibus, Verbo,  
 Scriptis & per Legatum promiserit, se non daturum Galliæ Confederatis  
 Salvos Conductus, quin simili modo ipsi pro Domino Duce Serenissimo  
 traderentur: & hæc est ratio honoris.

Altera est officii & muneris Imperatorii, quia Cæsar fidelem Imperii  
 Vasallum sic derelinquere privatam juribus, quæ ipsi competunt, non  
 potest



1646. potest nec debet, cum nempe hoc minimi nominis feudatario legitime  
 Junius. concedi justum & solitum sit.

1646.  
 Junius.

Tertia, quæ & Cæsari & Ordinibus Sacri Romani Imperii communis est, quod foret pessimi exempli, si Princeps ille, qui Imperio sic fideliter infervivit, ut ea de causa bonis omnibus ab Imperatoris & Imperii hostibus spoliatus fuerit, cæteris Imperii Ordinibus pejus tractaretur, & iis specialiter, qui contra Cæsarem & Imperium bella gerunt, ac ad hunc Universalem Cœtum non admitteretur, cumque omnes Ordines, quos singulariter consilio & armis juvit, sic eum derelinquerent, ut non solum sine ipso, sed etiam in ipsius præjudicium, Pacem iniquissimis conditionibus inire vellent, & pati, ut ille unicus de cunctis Vasallis federatis & sociis, Imperii Princeps, singulariter cum hoste communi tractaret, & à cæteris Imperii membris divideretur: siquidem præter mali ominis exemplum speciales Tractatus semper pluribus nocuisse, & hac in occasione si derelinqueretur Serenissimus, legem a potentiore subeundam potius, quam Tractatum Pacis cum ipso ineundum fore, notum sit. Præterea omnium interest, qui firmam quærunt Pacem, & dictus Serenissimus illius Tractatus compositioni & conclusioni adfit, & in eo comprehendatur, siquidem is plus quam ullus alter Imperii Princeps huic bello implicatus & involutus, adeoque constitutus, ut in meliori consideratione habendus sit: Exinde omnium interest, ut ille, qui solus ex universis Imperii Ordinibus hic non adest, convocetur, & veniendi media, seu Salvi Conductus necessarii a Gallia procurantur, ut ejus sicut & reliquorum Gravamina audiantur, & Pax Universalis firma cum universis tractetur, componatur, concludatur, ipsiusque bona, eo inaudito, ita libere hostibus non cedantur, quemadmodum, si non explicitè, tacite tamen & effective exhibita fuerunt, in oblatione Episcopatus, cujus Vasallus est, Metensis. Qui si Gallia per Tractatum relinquatur, ob dependentiam, connexionem & viciniam dicti Episcopatus, ut & Tullensis & Verdunensis plerarum scilicet ditionum ratione, iis commixtarum, & specialiter ob jurisdictionem in illis tribus, ut vocant, de la Marche, e dignitate sua Marchisi dependentem, ab Imperio separandus esset, non obstante clausula ratificationis restrictiva dictæ oblationi inserta. Quolibet modo fiat ea cessio, si non animo, limitibus tamen & opportunitate, Germaniæ impofterum assistendi, sicut hætenus fecit, & posthac assistere tenetur & cupit, privabitur, & Gallia eo modo, quasi in victimam pro cæteris immolanda erit. Certe si aliquis cum suis ditionibus pro Imperii bono sacrificandus, & membrum aliquod a tali corpore rescindendum esset, alius alterius notæ quærendus foret. Princeps, qui immolaretur, nisi ingratitude lata Cæsar, Principes & Ordines Sacri Romani Imperii affecti esse vellent, Serenissimum Lotharingæ Ducem a se removendo, ejusque bona hostibus tradendo, maxime si ipsius & prædecessorum felicitæ Lotharingæ Ducum reddita fideliter pluribus ab hinc seculis Romanorum Imperatoribus & Imperio considerent obsequia. Inter Prædecessores videbunt Godefridum Bulleoneum, priusquam in Palæstinam proficisceretur, Cæsari Henrico IV, diversis in bellis adstisse, Ducem Matthæum Imperatori Barbarossæ, Ducem Fridericum Imperatori Friderico, ejus difficultates varias cum Philippo Augusto Gallia Rege in loco de Vau Couleur composuit, Ducem Ravul vel Rulphum fortiter pro Imperio in pugna de Greyc bellando cecidisse, Carolum II. Imperatori Rudolpho adfuisse, Antonium cum fratribus & Cognatis, cæsis & dissipatis plus triginta mille rebellibus villicis, Alsatiam & Würtembergam quietasse, Ducem Franciscum, Antonii filium, Pacis Mediatorem inter Cæsarem Carolum V. & Franciscum I. Gallia Regem fuisse, belloque acerrimo in Tractatu Nicensi sua finem industria posuisse, Johannem &



1646.  
Junius.

Carolus Tertium similia præstitisse officia. Ac, ut de Prædecessoribus sciamus, agnoscent etiam nolentes, Serenissimum Carolum IV. modo regnantem Lotharingæ Ducem, de quo agitur, videbuntque eum tenerioribus ab annis, Cæsari & Imperio intervuisse, & adempto Principatu, Gallum Suecumque vastu superbissimo in aquila conjurantes interitum, stipendiaria proprio ære conscripta acie foriter propulsasse, illum ab Imperii, cui imminabat, limitibus arcendo, huic, in quem jam præceps incumbebat victoria, palmam extorquendo eum dignoscent inter Nordlinganæ victoriæ actores & autores primarios, sicut & ad Rheni & Danubii ripas victorem sæpius triumphantem scient illum esse, qui ea de causa suis pulsus est ditioribus, eo quod antehac Sacro, sicut in hodiernum usque diem sumptibus innumeris, centum mille & plus hostibus ad hoc consumptis, Romano additerit Imperio.

1646.  
Junius.

Quibus attentis, non videtur juris & justitiæ esse, ut ejusmodi Princeps Imperii hostibus præ cæteris tradatur, hoc ipse Serenissimus de Augustissimo Cæsare & Sacri Romani Imperii Ordinibus credere non potest, illud ipsum eis in mentem venisse, percepit tamen, non sine maximo animi sensu, in hoc celeberrimo Cætu conclusum fuisse ea de causa, quod præsens non foret, Tractatum Pacis Universalis differendum non esse, quasi deterioris esset conditionis, quam reliqui Ordines Imperii, ille, qui pro viribus suis Imperium huc usque tutatus est, ferè perditum sublevavit, & quantum penes eum stetit, conservavit. Verum etiam audivit generosioris procedendi conclusionem, qua dictum hic fuit, eum præsentis Tractati absolute inferendum esse, propter quam illius autoribus gratias rependit, & omnes ac singulos requirit, ut non solum in eadem permaneant sententia, sed etiam non sinant contra eum & sine ipso quippiam ulterius tractari vel concludi. Esset enim contra Jus Gentium, contra omnem humanam societatem & æquitatem, si hic ulterius de Pace ageretur, non audito & per honesta & tuta media non accessito Domino Serenissimo.

Ex supradictis inferitur, insistendum esse necessario petitioni Salvorum Conductuum a Gallia tam diu donec concessi fuerint, nihil ulterius tractandum, in quo vel ex quo minimum habere possit præjudicium qualibet via, ratione vel modo, & deinceps in singulis propositionibus tenaciter restitutioni Domini Serenissimi cum Serenissima Domo sua in omnes & singulas ditiones suas & jura, tam ab Imperio dependentia, quam propria & libera, specialiter in tribus Episcopatibus sita, inhærendum, oblationemque dictorum Episcopatum revocandam, singulatim vero nomine Reverendissimi & Serenissimi Principis Francisci à Lotharingia, ratione Episcopatus sui Verdunensis, cui oblationi directe fit oppositio, & contra eam iterata protestatio (cum præsertim sic conclusum fuerit, unum vel plura Sacri Romani Imperii membra alterius ditiones & bona offerre non velle, nec posse, nec debere) item & etiam nomine Serenissimi Regnantis Domini Ducis, ratione eorum, quæ ad eum spectant in tribus Episcopatibus.

Rationes autem fundamentales oppositionum & protestationum omnibus, nisi iis, qui eas ignorare volunt, notæ sunt, tamen de iis aliquid pertransennam dicendum.

I. Ratione *Episcopatus Verdunensis* jure merito ratione Reverendissimi & Serenissimi Episcopi oppositio fit & protestatio, siquidem ipsius fidelissimi Imperii Principis bona, ab Imperio in Galliæ Coronam, eo non consentiente, transferri non possunt, & offerri non debeant. Hoc enim est omnibus Constitutionibus, Consuetudinibus & Justitiæ contrarium: vellentne Augustissimus Cæsar injustitiæ culpari? Nequaquam, cum nulla unquam possit



1646. Junius. possit esse necessitas, quæ ullum Principem ad injustitiam committendam obliget, & consequenter Verdunensis Episcopatus, nescio & invito Episcopo, alienari cum injustitia non potest. 1646. Junius.

Nec obstat opposita Ratificationis clausula: scit enim Reverendissimus, quid sit cum Gallia agere, & præsertim, quando debilior ab amicis derelictus, cum Potentissimo Rege vicino contendere debet, quomodo ab illo tractetur, quia per hoc certo certius bonis suis & Regalibus privabitur Reverendissimus, sicut & Imperator cum Imperio suis juribus, quibus ultro renunciarunt. Experientia, proh dolor! nimis multos hoc docuit, & certe, si omnes Sacri Romani Imperii Ordines apud se perpenderent (quod ut faciant, enixe rogatur) quanta sustulerit incommoda Reverendissimus, quot itinera Parisios versus, quot pericula incurrerit, quot & quantos sumptus exposuerit, ut Augustissimi Imperatoris & Sacri Romani Imperii jura in suo conservaret Episcopatu, & quot Abbatibus, quantisque bonis patrimonialibus, ratione fidelitatis suæ in Imperium, privatus fuerit, de satisfactione, quam legitime pretendere potest, ipsi danda potius, quam de Episcopatu suo ab Imperio alienando tractarent.

Igitur jure merito contra factam oblationem protestatur, eique se directe opponit et revocandam censet Reverendissimus.

II. Jam vero, quod *Metensem Episcopatum* spectat, cujus Vassallus est Serenissimus Lotharingæ Dux, in quo multo plura, quam Episcopus, territoria & bona possidet, tum etiam ad Verdunensem & Tullensem eodem plane modo se opponit & protestatur Serenissimus, dicitque, illos cum justitia, cum honore, sine præjudicio Sedis Apostolicæ, sine perditione Burgundiæ, magnoque periculo Lucenburghensis Ducatus & Belgii aliorumque Imperii Statuum, manifesta violatione Imperii Recessuum & salutarium Conventionum, extirpatione Serenissimæ Domus Lotharingæ, sine denique evidenti imminentissimaque Imperii ruina, tres Episcopatus ab Imperio cum juribus, quæ Cæsar & Imperium in illos habent, per Tractatum separari non posse.

1) *Cum justitia.* Constat enim, ejusmodi alienationem de jure fieri non posse, cum ejus qualitatibus Dominia, secundum Leges & omnes Consuetudines alienari nequeant, & ex his habita conclusione, *Art. 9. II. Classis, in §. Disceptatione, utrum Satisfactio danda*, dicitur expressè. *Das die geistliche und weltliche Länder, welche ihre rechtmäßig dazu berufene Herren haben, denselben absque summa injustitia nicht können entzogen werden; & Artic. 6. I. Classis de Satisfactione danda*, dicitur, quod pars Legatorum begehren keinen Fürsten und Stand durch ihre Vota an seinen Landen und Leuten etwas abzuspochen, quia cum justitia non possunt, & tamen hoc Serenissimis Principibus per hanc cessionem advenit, & justorum nomen aliter sentientes justè mereri non possunt.

2) *Cum honore.* Turpissimum namque foret, si Reverendissimo Verdunensi Episcopo, satisfactionis ratione damnorum perceptorum & sumptuum, in tuitione jurium & privilegiorum Imperii consumptorum, præter privationem omnium Abbatiarum & patrimonialium bonorum, quibus Gallia fruitur, Episcopatus demeretur & Coronæ Franciæ, etiam eo invito, donaretur & cederetur.

Idem & plus est de Serenissimo Duce Lotharingæ. Quomodo enim possent impostum tam Cæsar quam Sacri Romani Imperii Ordines Serenissimi Ducis expostulationes perlegere, si jura Imperii, quæ legitime possidet, ab Imperio ipso sine causa tollerentur, specialiter in Episcopatu Metensi,



1646.  
Junius.1646.  
Junius.

tenfi, cujus Vasallus est, in Verdunensi, cujus Protector, in Tullensi, ubi plurimos habet redditus, in tribus, ubi gaudet titulo & dignitate Marchisi, annexa Coronæ Lotharingicæ, cujus ratione plerisque fruitur juribus, quæ per hanc alienationem Galliarum relinquere. Semper enim suos habuit Judices & Præfectos de la Marche, ut vocant, qui absolute in Imperii limitibus, etiam inter Episcopatum subditos de cunctis accidentiis, litibus, jurgiis, homicidiis & latrociniiis justitiam exercuerunt. Justum & honestum foret, pro tot obsequiorum Imperio redditorum satisfactione, cum suis bonis, honoribus & dignitatibus a Cæsare & Ordinibus Imperii privari.

3) *Sine præjudicio Sedis Apostolicæ, & periculo Religionis Catholicæ.* Jam etenim videmus, Galliam, mediante Parlamento Metensi, Episcoporum & Cleri pleraque jura invasisse, contra immunitatem Ecclesiasticam, Concordata Germaniæ & jura Stirac Sanctitatis.

4) *Et sine perditione Burgundiæ, magnoque periculo Lucenburgenfis Ducatus & Belgii.* Nam, qui situm & amplitudinem Metensis Episcopatus norunt, sciunt quoque, quod, illo a Gallis occupato, omnes commercia, & consequenter regiones istarum illorum manibus traduntur.

5) *Et aliorum Imperii Statuum.* In hac quippe oblatione Metensis Episcopatus, ut de reliquis taceatur, gravissime læduntur insignia Romani Imperii Membra & Status, qui non solum inviti sed inauditi quoque in infestissimorum dicti Imperii hostium potestate relinquuntur. Nam, præter Dominum Serenissimum Lotharingicæ Ducem, sunt & alii maximæ notæ, Bipontanus & Birekfeldensis, sunt Comites de Nassou, Hanau, Eberstein, Sarwerden, Linangæ, Chrehunge, Ribaubiere, Renigraviæ, Salmenfes & alii. Quo animo tantam perferent injuriam potentia Imperii Membra? ut ex liberis Imperii Statibus, Gallicæ Coronæ addictissimi subditifiant. Creduntur tam parvi animi, vilisque sanguinis, ita viribus animi & opibus destituti, ut illam vindicare non conentur, & quod tali subjectioni acquiescant?

6) *Manifesta violatione Imperii Recessuum & Statutarum Conventionum.* Quis nesciat, Serenissimum Ducem, vi Tractatus Norimbergensis, obligatum Imperio, & Imperium ipsi, ut invicem in necessitatibus alter alteri certis conditionibus opitularetur. Ignoratne quispiam Pragensem Tractatum & Conclusum Ratisbonense, in quibus unanimiter & generose ratihabitu fuit, arma non fore deponenda, nec Pacem ullam ineundam, quin Serenissimus Lotharingicæ Dux in sua restitueretur, sicut vicissim Serenissimus Imperio & ejus membris semper adstitit. Modo vero, non obstantibus ejusmodi Recessibus & fide publica, de Pace non solum tractatur, absente & reclamante Domino Serenissimo, sed in ipsius etiam præjudicium tres Episcopatus cum juribus Imperatoris & Imperii, quorum ille, ut superius dixi, respective Vasallus, Protector & in iis maximum habens interesse tanquam Marchisus, offeruntur & pure & simpliciter offeruntur cum omnibus juribus a Cæsare & Imperio dependentibus, quos Gallia, quæ iis solis contentissima fuisset, si non ita contra jura oblata fuissent, acceptavit, cum pro illorum sola cessione bellum hactenus gesserit, licet, pro leniendo vulneris infestissimi ictu quasi insanabili, addita postmodum sed ferius medicamenta, nomine ratihabitionis partium interesse habentium requirenda; sed in hoc post mortem Medicus.

7) *Exstirpatione Domus Lotharingicæ.* Apertissima est consequentia. Nam separatis, quæ supererunt Serenissimæ Domui, juribus ac ditionibus ab Imperio & Belgio, iisque in Galliarum sinu contentis, dubium non est, quin omnia voracissimo statim consumantur stomacho; cum hæc Serenissima Do-



1646.  
Junius.

Domui, iuribus ac ditionibus ab Imperio & Belgio, iisque in Gallia sinu contentis, dubium non est, quin omnia voracissimo statim confumantur stomacho: cum hæc Serenissima Domus, omni spe auxilii destituta, potenti Regno, in ejus everfionem conjurato, sola se opponere & resistere non possit. Ideo concluditur nomine Serenissimi, & dicitur, quod, cum Serenissimam Familiam suam in extremis constitutam, & Lotharingiam viribus, hominibus & vivendi mediis penitus exhaustam videat, quippe qua pro Imperii salute plus quam centum millia subditorum, in præteritis ac præsentibus bellis produxerit & perdidit, nihilominus Norimbergensi, Pragensi, Ratisbonensi Tractatibus confidens, adhuc hodie pro dicto Imperio & ejus Membris, eorumque tuitione personarum &, quod reliquum est, substantiæ, liberaliter exponat; tamen perliberam hanc ex suo ab aliis factam cessionem agnoscit, se imposterum, si res ex proposito offerentium successerit, Imperio fore inutilis, & tanquam ejusdem refecatum membrum, Gallicæ fortunæ expositum, per eam a Germania separationem, interpositione scilicet dictorum Episcopatum, & additione jurium, quæ in limitibus Imperii & ipsis habet Episcopatibus. Erit certe egregia gratiarum actio, eximia satisfactio, gratissimorum animorum testimonium, fida Imperii securitas & bene observata fides; Licet speret, oblationem illam executioni mandandam non fore, tamen illi directe solenniterque se opponit, sicut & omnes Episcopi, amici, vicini, vassalli, & in iis interesse habentes, & protestatur, se & ultimam proprii sanguinis guttam effusurum, si necesse sit, ut ejusmodi cessionis executionem impediatur, ac, ut illa revoceatur, instantissime à Cæsare & omnibus ac singulis Imperii Statibus requirit.

1646.  
Junius.

8) Evidenti, imminentissimaque Imperii ruina. Districtus enim Metentis Episcopatus ad Rhenum usque porrigitur, cujus si ripam specioso Gallia titulo possideret, prima data occasione illum pertransiret, vicinas provincias, quibus diu inhiavit, occuparet: Vidimus jam dudum projecta fortalitorum molimina, quorum ad Rhenum extructionem cogitat.

Haberet deinde sua in potestate (præter duos Suecorum vinculis irretitos) quatuor Electores præcipua Imperii membra, quæ semel & semper cum supradictis maximi nominis Vassallis, pro eorum libidine se gerere, & eorum nutibus victi & devincti obtemperare cogerentur.

Quibus ita constitutis, Bavaria & Bohemia facile secum ipsis debellarentur, sulcatis adhuc fumantibus in hac rebellionum focus, & vi attritis in illa omnibus obstaculis, quæ intervenire possent: Siquidem ex hac cessione antimuralium & propugnaculorum, nihil aliud quam desolatio & ruina totius Imperii expectanda sit, pro qua avertenda nihil minus, quam de ejusmodi cessione trium Episcopatum cogitandum.

Quin imo pro eorum recuperatione tres in medio Imperii locupletiores provinciæ prius offerendæ essent, quam illæ tres derelinquendæ.

Speratur itaque, quod Reverendissimi Illustrissimi Proceres unitis agent viribus & animis. Res eo redactæ non sunt, ut memoriæ suæ æternam ingratitude labem posteris tradere velint aut necessitentur. Serenissimum Lotharingiæ Ducem unanimiter convocent, ejusque interesse, quod omnibus commune esse debet, hac in occasione ex prædictis & aliis rationibus generose ferant, non sinentes, quippiam in ejus nec amicorum, Serenissimæ scilicet Familiæ & Reverendissimi Episcopi Verdunensis præjudicium fieri. Cum præsertim multis rationibus ingentes illis gratias & satisfationem præstare debeat Imperium, & speratam ab illis justam Ducatus, di-

Dritter Theil.

Dddd

tio.



1646. tionum, Episcopatus, Abbatiarum aliorumque bonorum restitutionem 1646.  
Junius. Serenissimæ domui procurare teneatur. Junius.

Cum vero Gallia objiciat Tractatum Anno 1641. exponendum videtur, quod dictus Serenissimus allectus & fidens literis Regis Christianissimi Ludovici XIII, a Cardinali Richelieu, cum etiam Salvo Conductu Regio, quibus invitabatur Parisios venire, ut eorum difficultates facilius componerentur, cum promisso expresso libertatis in reditu, adeo, ut ad suas copias, si difficultates non componerentur, tuto redire posset. Et cum in eo statu constitutus esset Serenissimus, ut iisdem copiis suis ubicunque hyberna denegarentur, obtento tandem tam a Cesare, quam Cardinali Infante consensu cum Rege Galliarum tractandi, iit Parisios: Ubi audivit duras & inexpectatas condiciones non tam pacis quam servitutis ineundæ, quas admittere multum diuque recusavit, petiit effectum promissæ libertatis ad copias suas redeundi, & huic petitioni per tres hebdomadas institit, sed incassum. Nihil enim præter minas obrinuit, non modo contra eandem libertatem, sed vitam ipsam, nisi propositis articulis subscriberet, & tunc ob imminens periculum, instantiaque amicorum Consilia, cessante omni alio remedio, & interclusa reditus omni ex parte via, tandem subscripsit; ipraviam tamen protestatione inter domesticos parietes (cum aliter fieri non posset) se quamprimum huiusmodi subscriptionem revocaturam, ubi ab imminente periculo liber esset: cum hoc proposito Parisiis discessit.

Et cum Barroductensem Urbem pervenisset, præsidio Gallico munitam, eadem vi, qua ante, coactus fuit, quod Parisiis Instrumentum subscripserat, ratum habere, ut, quo præterea Tractatu primum Galli recesserunt, minime urbs Marfal prædicto Duci restitueretur.

Ex quibus evidenter constat omni jure, nullum ab ipso initum fuisse huiusmodi Tractatum, nec non ex post facto, cum illius executioni Galli defuerint, & utrinque rursus partes ad arma descenderent: de quibus posterioribus actibus & novis offensionibus adhuc locus est, compositionem novam admittendi, ut & de præteritis difficultatibus, quæ nullibi nisi in conventu Pacis generalis tractari & iniri potest, ubi adsunt ejusdem Pacis Mediatores & hinc elidantur penitus inanes Gallorum objectiones & petitiones, præcipue dum respondent, Serenissimum Ducem posse mittere Legatos in Galliam, ubi nihil tuti aut securi suo exemplo ipsis sperandum esset; minusque ad contractum ineundum, quam ad iudicium subeundum ire viderentur, sese hostium potestati & libidini submittentem, quod omni juri & consuetudini diametraliter repugnat, & etiamnum hodie ipsorum Gallorum exemplo constat, quod Serenissimum Würtembergicum Ducem, & Serenissimam Landgraviam Hassiæ Castellanam, Dominum Marchionem Durlacensem, aliosque suos adherentes voluerunt hic suam causam agere, non vero in Aula Cesaris, cujus tamen sunt subditi, inde multo magis & id admitti debere in Serenissimo Duce Lotharingiæ, manifestum est.

## N. II.

Dictatum d. 29. Julii  
Anno 1646.

Refutatio dubiorum à Gallis, contra admissionem Ducis Lotharingiæ ad Pacis Tractatus, oblatorum.

Præterea iidem Galli objiciunt Præliminarem Tractatum Hamburgensem, à quo dicunt exclusum ea de causa Serenissimum, quod Parisiis



1646.  
Junius.

tractasset, cum ex supradictis rationibus & causis Tractatus Parisiensis Anni 1641, nullitas satis cognita sit, evidens est, sublata causa, tolli & effectum, nec ex illo capite derogationi Salvorum Conductuum pro dicto Serenissimo eos diutius inharere posse, aut cum justitia debere. Nec etiam obstat, quod dicunt, Serenissimum Ducem ab illo Tractatu Hamburgensi exclusum, siquidem in illo nulla sit ejus mentio, cum illud silentium pro exclusione haberi non debeat.

1646.  
Junius.

Licet asserant, quod tamen non conceditur, petatum tunc temporis, sed denegatum eidem Serenissimo Saluum Conductum, at talis denegatio ipsi præjudicare non potuit, nec impedire iteratam ejusdem petitionem, cum præsertim tractetur hic, quod ibi non agebatur de statibus Serenissimi vel conservandis, vel alienandis, vel immutandis, vel, ut melius dicam, auferendis, & Gallia: in satisfactionem plane cedendis & relinquendis, siquidem illa petit expressè, ut Casar se obliget de non molestando unquam Coronam Gallia: in possessione statuum dicti Serenissimi Ducis. Quæ quidem satisfactio est potissima pars hujus Tractatus Generalis, & cum ejus assecuratio & executio sint etiam ipsius partes essentielles, effect omnibus juribus contrarium, & sua natura impossibile, inaudito & absente dicto Serenissimo, circa talia quippiam firmi & solidi tractari, vel stabilem pacem componi, foretque evidens consequentia, Gallos pacificationem hanc inanem & frustraneam reddere velle, si pertinacius sine ulla ratione, vel saltem ejus specimine, in denegatione dictorum Salvorum Conductuum persisterent; siquidem ex illo capite esset illius rupturæ semper locus apertissimus, pro alterutrius partium libitu.

Est & tertia objectio, quæ Serenissimum Ducem potissimum movit: Dicunt Galli, si hic a majori parte Ordinum Imperii conclusum fuerit, quod ea de causa, quod esset absens Serenissimus, Tractatus Pacis suspendendi non essent, nec habita ulla dicti Serenissimi propter absentiam interesse ratione vel consideratione, ulterius tractandum se a propriis Sociis & ejusdem corporis membris, eo modo derelictum Principem huc accersere non teneri, nec velle, per ejus interventionem majores sibi difficultates procurare, quippe qui generosum ejus animum causeque justitiam, de sua diffidentes, agnoscunt, & eo titulo denegationem eorundem Salvorum Conductuum protequant. At, cum hæc objectio originem suam ex iis ducat, quæ hic & Osnabrugæ jam pridem conclusa, sed primum hic 23. Junii & 11. Julii dictata fuerunt, instantissime rogantur S. R. J. Principes & Ordines, ut ad ejusmodi objectionis propositæ everisionem concurrentes cooperentur, & illis revocatis, quæ contra Serenissimum sunt, vel saltem pro illo non sunt, fidelissimi Imperii Principes justissimam causam generosius amplectentes, petitionem aquisitam junctis viribus prosequantur, & per aliquos ex singulis Collegiis Deputatos mentes suas, in tuitione causæ & jurium dicti Serenissimi propensiores ostendant, ac alium in sensum quam eo modo, quo Galli modo interpretati sunt, illis explicare, & per Dominos Mediatorez significare velint, ac unitis fortiter animis, petitionibus Salvorum Conductuum insistant, illosque continuo procurare dignentur, quod ex supradictis & aliis rationibus infinitis, ab ipsorum justitia speratur & requiritur.

## §. XXVI.

Der Reichs-  
Städte Vor-  
stellung in  
puncto Prä-  
cedentie vor  
der Reichs-  
Ritterschaft.

Mit was vor Nachdruck die freyen Reichs-Städte, die Präcedenz vor der freyen Reichs-Ritterschaft, zu vertheidigen, sich bemühet haben; giebt nachgesetzter Dritter Theil.

te Vorstellung, N. I. und die darinnen enthaltene Auslegung der in contrarium angezogenen Reichs-Constitutionum zu erkennen.

Ddddz

Pra.